

d) *Dei bonitati*; nam haec in eo magis apparet quod aliquid suae potentiae et activitatis finalis communicaverit creatis elementis;

e) *Dei potentiae*; nam haec magis ostenditur quod non solum effectus producit, sed etiam ipsam vim activitatis efficientis;

f) *Dei aeternitati*; nam haec quasi vestigium sui nobis reliquit in tantis durationibus, quae tamen ipsi comparatae sunt quasi non sint;

g) *Dei providentiae*; nam haec eo magis agnoscitur quo perfectius omnia, etiam minima, praevidet ac dirigit, et attingit finem suum, quamquam omnia aliis efficienda permittit.

Ad min. 2 et 3 part. (omnia explicat apte); et (nulli facto contradicit). Hoc bene ostendunt istarum scientiarum cultores, ope experientiae et computi mathematici atque inductionis.

Prob. min. 4 part. (conformis est aliis certis). Generatim a) res naturales habent veram activitatem efficientem; — b) et quidem proportionatam effectui producendo; — c) ubi causae creatae sufficiunt ad effectum, non Deus per se solum operatur; — d) natura agit ad opulentiam, non ad paupertatem; — e) leges naturales sunt constantes; — f) quoad generationes et corruptiones corporum chemice compositorum, omnia sunt disposita in numero et pondere et mensura; — a. his veritatibus conformis, imo earum applicatio est hypothesis dicta; e.

Prob. min. 5 part. (aliae sunt minus aptae). Aliae hypotheses ortae praecipue sunt ex Mosaica narratione creationis *sex diebus* effectae; scilicet:

a) mundum fuisse creatum simul totum constitutum ut nunc est; — sex dies esse potius ordinem quo omnia sint revelata, vel methodum considerandi;

b) sex dies esse veros dies XXIV horarum ut nunc sunt, quibus singulis Deus per seipsum immediate operans, novum gradum ordinationis et formationis addiderit;

atqui: talia sunt facta multa per palaeontologiam praesertim nota, ut nisi miraculosa et satis inexplicabilis interventio divina admittatur, hypothesis istis explicari non possint; e.

Notandum. Quomodo in positivam concordiam adducantur narratio Moysis et hypothesis recentior, illi disputant theologi recentiores qui Scripturae S^{ae} student. Cfr. *Corluy, S. J. Spicileg. biblic. vol. 1.*

Objic. 1^o Posita evolutione illa mechanica universi, superflua esset providentia Dei; e. — R. d. *ant.* posita evolutione quae fieret non vi providentiae et praeordinationis Dei, c; secus, n.

Objic. 2^o Haec hypothesis impiorum est et ratio qua suum atheismum probare conantur. — R. d. solorum impiorum, n; eorum etiam, qua facilius abutantur, c.

Objic. 3^o Potuit certe Deus ob rationes sibi cognitatas, omnia ita creare a principio, ut nunc sunt. — R. d. potuit si omnipotentiam et libertatem Dei inspicias, c; si potius opus effectum inspicias quale sit de facto, *sd.* potuit

absolute, c; potuit secundum sapientiam et spectata analogia cum aliis operibus, n.

Objic. 4^o Ut statuatur haec hypothesis, praesupponi debet nihil fuisse praeter vires et leges nunc naturales factum; a. sic praesupponitur ipsa hypothesis probanda; e. — R. c. *maj.* — c. *min.* (haec est natura argumenti ab hypothesi!) — d. *cons.* erit conclusio vitiosa si ex hoc solo velis arguere certitudinem, c; si probabilitatem solidam quae per nova studia possit fieri certitudo, n. (cfr. *logic.*).

Objic. 5^o Ex data hypothesi explicantur varietates motuum, distantiarum, densitatum, massarum, etc. quae in mundo inveniuntur, non vero varietates formarum substantialium peripateticorum; e. aut rejicienda haec hypothesis, aut redeundum ad atomismum. — R. d. *ant.* si supponatur materia chaotica strictissime uniformiter homogenea, quae diversificari non potuisset, c; secus, n.

N. B. 1) *Supponamus*: a) materiam primam quae de se sit in potentia passiva indifferenter ad omnes formas materiales: qui est conceptus peripateticus materiae; quae quidem non nuda sine omni forma erit existens, sed ita determinata sicut nunc nulla substantia est, scilicet chaos, cujus forma si placet vocetur chaotica; — b) in hac materia aliquam vel minimam heterogeneitatem accidentalem.

2) *Jam habebimus*: a) alibi aliter praedispositam materiam, seu: alibi aliarum formarum accidentalium educationem faciliorem, praesertim si longo tempore fieri possit processus; — b) ex hac varietate, accidentium alios alibi complexus, quibus jam ipsa essentia aliarum alibi essentiarum privationem habeat; — c) unde variae formae etiam substantiales in materiae potentia contentae educuntur.

3) *Etiam atomistae* similem aliquam heterogeneitatem admittere coguntur, et admittunt, quocumque modo eam explicant.

CAPUT III.

DE CONDITIONIBUS MUNDI.

Istae duae sunt inseparabiles mundi conditiones naturales, ut quidquid mundanum existat, proprium locum in spatio occupet, propriamque durationem in tempore degat; possit quidem locum alium et alium, durationem aliam et aliam habere, nequeat tamen existere nisi alicubi et aliquando. Quae duae conditiones quum propriam naturam, alteram cum extensione simultanea, alteram cum motu seu extensione successiva connexam habeant, dividendum videtur in duplicem tractatum hoc praesens caput:

Sectio 1. De loco et spatio.

Sectio 2. De duratione et tempore.

SECTIO 1.

DE LOCO ET SPATIO.

Concipitur autem communiter locus ut aliquid magis particulare, singulis corporibus aptatum, et multiplicabile pro corporum varietate; spatium vero ut aliquid magis universale, in quo varia loca includantur; quare analytice procedentes prius id considerabimus quod magis concretum est :

Quaestio 1. De loco.

Quaestio 2. De spatio.

QUAESTIO 1.

De loco.

Et circa locum duo inquirenda occurrunt : ut scilicet clarus fiat conceptus proprie dictus loci stricte sumpti; et modus quo corpus in suo loco existit exponatur. Hinc :

Articulus 1. De natura loci.

Articulus 2. De praesentia in loco.

ARTICULUS 1.

De natura loci.

Propositio 58.

Locus non est aliquid praeter omnia corpora existens, neque aliquid intrinsecum locato, sed est corporis continentis superficies prima immobilis.

Notiones. 1) *Locus* vulgo significat illud quod corpora mutant quum per spatia moventur, ita ut locus sit terminus qui motu locali relinquatur vel acquiratur, sitque ipse immobilis, et proprie loquendo, nec major nec minor re locata.

2) *Non est aliquid praeter* : scilicet pars absoluti spatii quae dimensionibus suis separatis ac penetrabilibus commensuretur dimensionibus corporis locati; supponeretur nempe spatium esse reale quid existens.

Nec aliquid intrinsecum : i. e. dimensiones corporis locati. Cfr. Tolet. in 4 phys. c. 5. q. 8. — Suar. met. d. 51. s. 2.

3) *Continentis* : v. c. terrae circa lapidem, aquae circa piscem, aeris circa domum (includitur ergo conceptus distantiae voluminalis inter partes hujus superficiei).

Superficies : concava rem locatam respiciens.

Prima : rem locatam immediate ambiens et tangens.

Immobilis : quae remota re locata concipitur ut manens tamen ipsa immota et stabilis; qua re differt a vase. Potest autem concipi ut absolute immobilis vel ut relative immobilis, v. c. in toto aliquo systemate.

Prob. 1^a pars (*non aliquid praeter*). 1° Partes spatii absoluti essent per se insensibiles et indiscernibiles; *a.* sic non possent constituere locum; *e.*

Ad min. Sic nihil conferrent ad discernendum inter corporum quietem et motum; *a.* haec discretio est unica ratio cur quaedam tanquam loca comparamus ad alia tanquam locata; *e.*

Prob. 2° Istae partes spatii absoluti essent aut partes substantiae alicujus dimensionibus indefinitae, aut extensiones aliqua non in substantia, aut aliquid in mente tantum existens; *a.* nihil horum dici potest; *e.*

Ad min. 1 part. (*non partes substantiae*). Omnis substantia quanta est finita et determinata dimensionibus.

Ad 2 part. (*non extensiones*). Omnis extensio utpote accidens debet naturaliter inhaerere substantiae.

Ad 3 part. (*non in mente tantum*). Si ita esset, corpus esset locatum solum secundum mentem seu fide, quod repugnat; *e.*

Prob. 2^a pars (*non aliquid intrinsecum*). 1° Corpus continetur loco; *e.* si locus essent ipsae corporis dimensiones, idem secundum idem esset simul continens et contentum, quod repugnat.

Prob. 2° Corpus quod movetur mutatur ab uno loco in alium, et varia corpora mota sibi succedunt in eodem loco; *a.* haec essent falsa si locus essent ipsae dimensiones corporis locati; *e.*

Prob. 3^a pars (*sed est*). Usu communi hominum locus intelligitur : *a)* spatii pars aliqua; — *b)* qua aliquod corpus continetur; — *c)* quae immobilis manet si ex ea corpus in aliam transit; — *d)* ex qua discernimus motum a quiete corporis; — *e)* quae cognoscitur ut mensurans dimensiones extremas corporis locati; — *a.* haec omnia aptissime exprimuntur in definitione proposita Aristotelis (phys. 4. c. 4.); *e.*

Objic. 1° (contra 2^{am} part.). Extensio seu dimensiones corporis concipi possunt non solum in concreto, sed etiam in abstracto, quatenus eadem est extensio corporis recedentis et corporis advenientis; *a.* sic est aliquid immobile quod dici potest locus; *e.* — *R. tr. maj.* — *d. min.* aliquid immobile unde oriatur conceptus abstractus loci et spatii, *tr*; aliquid immobile reale unde discernatur motus et quies corporis locati, *n.*

Objic. 2° Moto corpore cujus est superficies, movetur et superficies; *a.* omne corpus (etiam continens) potest moveri; *e.* ejus superficies non est locus immobilis. — *R. d. maj.* movetur superficies eodem modo ac corpus, *c*; secus, *n.* — *d. min.* moveri sive absolute, sive relative ad certum aliquod immobile, *c*; necessario relative tantum, *n.* — *d. cons.* immobilis saltem relative, *n*; absolute, *tr.* (sufficit ut locus sit id quo discernamus motum a quiete locati, saltem relative).

Objic. 3° Si locus est superficies corporis continentis, jam ubi nullum

corpus, nullus erit locus; *a.* homines vulgari usu, etiam aestimantes esse vacua spatia inter vel ultra stellas, ibi concipiunt loca quae corporibus possint occupari et relinqui; *e.* — *R. c. maj.* — *d. min.* concipiunt loca possibilis, i. e. possibilitatem locorum, *c*; loca realia, *sd.* sibi imaginantur, imaginando ipsum vacuum quasi immensum corpus, *c*; secus, *n.*

Objic. 4° Omnes concipiunt superficiem non esse nisi terminum extrinsecum loci; intervallum autem dimensionum intra superficiem esse ipsum locum proprie dictum; *e.* — *R. tr. 1 part. antec;* — *d. 2 part.* intervallum quod formaliter sit relatio distantiae inter parietes, quod materialiter et concrete sint ipsi parietes distantes, *c*; quod per se sit aliquid dimensionatum realiter distinctum a parietibus distantibus, *sd.* imaginantur phantastice, *tr*; judicant rationabiliter, *n.*

Objic. 5° Primum aliquod unicum corpus creatum, deberet tamen esse alicubi, i. e. determinato in loco; *a.* tunc nullum esset corpus continens; *e.* — *R. d. maj.* in loco, *n*; in spatio, *c.*

Objic. 6° In spatio absoluto concipi possunt partes propriis definitae limitibus, in quibus corpora creari possint; *a.* talis aliqua pars spatii quae coaequabitur dimensionibus alicujus corporis, illudque intime pervadet, recte vocabitur ejus locus; *e.* — *R. d. maj.* in spatio quod sibi quis imaginaretur quasi immensum corpus, *c*; secus, *n*; — *c. d. min.*

Objic. 7° Omne locatum tangit locum; *a.* si locus est superficies..., partes intimae corporis non tangunt locum; *e.* totum quidem, sed non ejus partes sunt in loco, quod repugnat. — *R. d. maj.* secundum suam extremam superficiem, *c*; secundum totas suas dimensiones, *n.* — *tr. min.* — *d. cons.* non tangunt locum, *tr*; non sunt intra locum, *n.*

Objic. 8° Totum universum est in aliquo loco, seu occupat spatium finitum; *a.* extra universum non est aliud corpus continens; *e.* — *R. n. 1 part. maj.* (in loco); — *tr. 2 part.* (in spatio finito, ... imo melius diceret: facit spatium finitum).

Objic. 9° Ultimum corpus in termino universi si in altum elevaretur, moveretur localiter; *a.* quod movetur localiter relinquit unum locum et alium acquirit; *e.* acquireret locum ubi nullum corpus continens. — *R. d. maj.* moveretur localiter, i. e. moveretur a loco, *c*; in locum, *n*; — *c. d. min.*

Instant. Melius diceret hoc corpus fore in seipso tanquam in loco! — *R. n.* (locus potest acquiri et relinqui; *a.* nihil potest seipsum acquirere et relinquere).

Objic. 10° Locus se habet ut forma a qua aliquid denominatur locatum; *a.* locatum est tale per actum ubicationis intrinsecae; *e.* — *R. d. maj.* denominatur extrinsecae, *c*; intrinsecae, *n*; — *c. d. min.*

Objic. 11° Potest non loco moveri locatum, dum tamen movetur corpus continens ac proin ejus superficies, v. c. navis alligata in fluvio; *e.* — *R. 1) d. ant.* et ejus superficies materialiter spectata, *c*; formaliter et mathematice spectata, *n.* — vel *R. 2) d. ant.* non moveri relative ad aliud stabile, v. c.

littus, *c*; relate ad ipsum corpus ambiens, *n.* (v. c. piscis tam cito ascendens quam aquae defluunt).

Objic. 12° Locus est in praedicamento *ubi*, superficies in praedicamento *quantitatis*; *e.* non possunt esse idem. — *R. c. 1 part. ant;* — *d. 2 part.* superficies absolute spectata, *c*; relative ad locatum, *n.*

Schol. 1^m Distingui debet *locus proprius* qui ita continet locatum ut nihil ultra continere possit, seu qui totaliter tangit superficiem corporis locati; — et *locus communis*, qui plura simul continet intra se locata, qui *locus distans* aliquando dicitur.

Schol. 2^m Quae hucusque dicta sunt valent de *loco extrinseco*, i. e. de superficie corpori continenti inhaerente; — est insuper *locus intrinsecus*, i. e. superficies ipsi locato inhaerens, quatenus intercedit intervallum in quo corpus situm est: locus minus proprie dictus.

ARTICULUS 2.

De praesentia in loco.

Propositio 59.

Corpora naturaliter alicubi sunt circumscriptive, spiritus autem definitive.

Notiones. 1) Evidenter omnis res creata est alicubi, nam est finita magnitudine, extensione, virtute; sed quaeritur quomodo sit alicubi.

2) Res dicitur esse in aliquo loco *circumscriptive*, seu *quantitative*, seu *dimensionive*, si est tota in toto loco, et per partes est in loci partibus, i. e. si locum extensum occupat extensa sua realitate, et eadem qua locus extensus mensura mensuratur.

3) Res dicitur esse in aliquo loco *definitive*, seu *illocaliter*, seu mere *praesentialiter*, si est tota sua entitate in toto loco, et tota in singulis loci partibus; ita ut non habeat proportionem cum extensione loci.

4) Non dicimus definitivum existendi modum corpori repugnare intrinsece, sed naturaliter (Cfr. S. Thom. 1 p. q. 52 a. 1 et 2).

Prob. 1^a pars (corpora). Ubicatio circumscriptiva ea est qua res composita ex partibus est in loco respondente, ita ut partes loci occupet per partes suas correspondentes, ideoque sit in toto illo loco, et singulae ejus partes sint in singulis loci partibus; *a.* teste experientia, corpora hoc modo sunt in loco, isque existendi modus essentiae corporum compositae ex partibus respondet; *e.*

Prob. 2^a pars (spiritus). Ubicatio definitiva illa est qua res ita in loco divisibili ubicatur, ut per sui quasi repetitionem localem sit tota in singulis partibus loci, et tamen tota sit per totum locum; *a.* spiritus est simplex vi essentiae suae, ac proinde ubi in loco est, talem existendi modum necessario habet; *e.*

Ad min. Quod partes extensionis non habet, iis per quantitatem non potest extendi et commensurari extensioni loci.

Coroll. 1^m Ubicatio spirituum est finita, et quoad magnitudinem determinata, sed non quoad parvitatem; nam spiritus est praesens toti loco, sed totus etiam singulis loci partibus, neque alligatus toti loco; *e.* potest suam praesentiam parti applicare uni, ceteris partibus subtrahere; *e.* parti semper minori applicare.

Coroll. 2^m Spiritus simul in eodem loco plures naturaliter esse possunt, nam quantitatem non habent, neque activitas unius necessario alterius activitatem impedit.

Coroll. 3^m Punctum per se non est in loco, sed solum per accidens, i. e. quia corpus cuius est terminus, est in loco. — Contingit autem duorum locorum esse unum terminum communem; et ita duorum corporum terminis respondet unus terminus locorum, atque ita duo corpora se tangentia in terminis suis sunt simul (S. Thom. suppl. q. 83 a. 2 ad 5).

Coroll. 4^m Spiritus non potest esse in loco per modum puncti mathematici, vel lineae, vel superficiei, nam haec sunt termini quantitatis; *a.* dari nequit terminus nisi ubi est res terminata.

Coroll. 5^m Spiritus nequit naturaliter esse in loco, illum *per suam substantiam occupando* impenetrabiliter; nam *a)* locus per se est receptaculum extensi, i. e. ejus quod partes extra partes habet; *e.* tantum per extensum occupatur; — *b)* modus existendi sequitur modum essendi; *e.* illud solum occupat locum extensum, applicando seipsum immediate loco, quod ipsum extensum est.

Coroll. 6^m Spiritus potest esse in loco per accidens, scilicet informando corpus, vel etiam operando in loco per suam virtutem, i. e. impediendo virtute, non substantia sua, ne aliud corpus illum occupet.

N. B. In his duobus ultimis corollariis dicuntur spiritus resistere impenetrabiliter non per substantiam sed per virtutem, i. e. per activitatem quae non sit necessaria proprietas eorum substantiae; corpora autem resistunt per virtutem, non per nudam substantiam, i. e. per activitatem distinctam quidem ab ipsa substantia, propriam tamen et necessariam huic substantiae; cfr. supra prop. 22.

Propositio 60.

Non intrinsece repugnat corpus esse alicubi definitive.

Prob. Ad hoc requiritur et sufficit ut non intrinsece repugnet: 1) corpus privari extensione locali actuali, et 2) pro ea dari modum praesentiae indivisibilis; *a.* neutrum repugnat; *e.*

Prob. min. 1^m part. (extensione locali). Extensio localis realiter distinguitur ab ipsa substantia et a quantitate formali; imo pro eadem quantitate datur alia et alia extensio localis in condensatione et rarefactione; *a.* quod distinctum et separabile est, simpliciter auferri de se non repugnat; *e.*

Prob. min. 2^m part. (praesentia indivisibilis). Duplex distingui potest praesentia simplex: 1) *subjectiva*, i. e. subjecti partes divisibiles non habentis, seu entitative simplicis; — 2) *objectiva*, i. e. subjecti partes quidem habentis, ita tamen ut non localiter distinguantur neque aliae extra alias ponantur; — *a.* subjectiva repugnat quidem corpori, sed objectiva sufficit, et nequit ostendi repugnare conceptui substantiae entitative compositae, i. e. corporis; *e.*

Coroll. 1^m Ergo etiam cum sua quantitate non intrinsece repugnat ut corpus sit alicubi definitive; nam quantitas praecise per se non dat extensionem localem sed solam extensionem situalem internam.

Coroll. 2^m Ad modum illum praesentiae definitivae quum non sit naturaliter proportionata substantia corporea (cfr. prop. 59), illum recipere potest solum in potentia sua obedientiali (cfr. ontolog.).

Propositio 61.

Non intrinsece repugnat plura corpora circumscriptive compenetrari.

Notiones. 1) Penetrare dicitur unum corpus in aliud: *a)* *communiter*, i. e. cum alterius divisione, sicut gladius in corpus; — *b)* *physice*, i. e. sine alterius divisione, sicut vapor in corporis poros; — *c)* *stricto sensu*, i. e. eundem omnino realem locum occupando quem aliud corpus. — De hoc stricto sensu agimus nunc.

2) Ex eo quod non intrinsece repugnat corporis praesentia definitiva, sequitur etiam intrinseca possibilitas: *a)* compenetrationis definitivae plurium corporum, i. e. quae singula existant definitive in eodem loco; — *b)* compenetrationis mixtae corporum, i. e. quorum unum circumscriptive, cetera definitive existant.

3) Compenetrationem etiam circumscriptivam, i. e. plurium circumscriptive existentium, esse possibilem, novimus ex revelatione trium mysteriorum, nativitatis Christi, resurrectionis ejus, et ingressus in caenaculum januis clausis; quaerimus jam quid sola ratio decernere valeat.

Prob. In corpore naturaliter existente habentur ut distincta: *a)* substantia entitative composita; — *b)* quantitas, dans formaliter extensionem internam situalem, et exigitive externam localem; — *c)* ubicatio intrinseca naturalis, dans formaliter extensionem externam localem, et exigitive impenetrabilitatem; — *d)* vis resistiva, dans formaliter impenetrabilitatem; — *a.* 1) nulla est intrinseca repugnantia, ut, manentibus tribus primis, auferatur vel impediatur quartum; quod si in pluribus corporibus fiat, nihil jam impedit compenetrationem circumscriptivam; — 2) nulla etiam est intrinseca repugnantia ut, manentibus duobus primis, alia detur ubicatio intrinseca praeternaturalis, dans formaliter extensionem externam localem sine exigentia connaturali ad impenetrabilitatem et vim resistivam; — *e.* duplici modo potest explicari illa non repugnantia intrinseca.

Ad min. Etiam si quis contenderet intrinsece repugnare separabilitatem inter c) et d), maneret altera explicatio possibilis.

Objic. 1° Si duo corpora essent circumscriptive compenetrata, ambo indistincte, secundum easdem partes, influxum agentium naturalium in se reciperent; *a.* ita in eorum materiam una eademque forma substantialis induceretur, essentque jam non duo corpora, sed unum idemque; *e.* — R. 1) *tr. maj.* — *n. min.* (influxus principiative idem terminaretur in duobus diverse passivis). — R. 2) *tr. maj.* — *tr. min.* — *d. cons.* non essent duo entitative, *n.*; non manerent diu duo, *tr.* — R. 3) *n. maj.* vel *d. maj.* hoc fieri posset, *c.*; hoc necessario fieret, *n.*

Objic. 2° Singula corpora circumscriptive compenetrata, haberent partes extra partes localiter positas, scilicet sibi invicem impenetrabiles; *a.* nulla esse potest ratio cur sint potius sibi invicem impenetrabiles quam partibus alterius corporis; *e.* — R. 1) *tr. maj.* — *n. min.* (ratio est diversa partium ubicatio). — R. 2) *c. maj.* 1^m *part.* extra positas...; *d.* 2^m *part.* impenetratas, *c.*; impenetrabiles, *n. donec prob.*

Objic. 3° Idem unum corpus totum locum simul impleret et non impleret, quod absurdum; *e.* — R. *d.* i. e. distenderetur per totum locum sed ita ut non excluderet aliud, *c.*; i. e. distenderetur simul per totum et non per totum, *n.*

Inst. Ergo bis impleretur idem locus; *a.* hoc est absurdum; — *nam* 1) per unam totalem impletionem tota capacitas receptiva loci ad actum reducitur; — 2) capacitas loci commensuratur magnitudini corporis implentis; *a.* hoc falsum est si remaneat in loco capacitas recipiendi aliud. — R. *tr. maj.* — *n. min.* — *ad prob.* 1) *d.* si capacitas loci esset potentia quaedam passiva, cujus actus esset locatum, *c.*; si est solum aptitudo loci suscipiendi ad locatum relationem continentis ad contentum, *n.* — *ad prob.* 2) *c. maj.* — *d. min.* i. e. si possit idem locus terminare duas relationes duorum locatorum, *n.*; i. e. si possit idem locus terminare duas relationes ejusdem locati, *c.*

Propositio 62.

Non intrinsece repugnat corpus multilocari sive definitive, sive mixte, sive circumscriptive.

Notiones. 1) *Multilocatio* est simultanea ejusdem entis existentia in pluribus locis adaequatis, i. e. quorum quisque sit enti sufficiens naturaliter; dicitur etiam *replicatio*.

2) *Multilocatio* est *definitiva*, si corpus est definitive in pluribus locis; *mixta*, si in uno circumscriptive, in aliis definitive; *circumscriptive*, si in pluribus circumscriptive.

3) Ex revelatione scimus corpus Christi nunc multilocari mixte: in coelo et in singulis SS^{mis} hostiis. — Quaeritur quid sola ratio discernere valeat.

Prob. Eatenus repugnaret quatenus *esse hic* diceret *non esse ibi*; *a.* ita naturali quidem sed non absoluta necessitate est; *e.*

Prob. min. In corpore habentur naturaliter: a) substantia entitative composita, b) quantitas, seu extensio situialis, c) ubicatio naturalis, seu extensio localis, d) impenetrabilitas; — *a.* non intrinsece repugnat: 1) ut manentibus a) et b) dentur pro c) et d) aliae ubicationes praeternaturales quatenus extensionem localem nec impenetrabilitatem dent; — 2) ut manentibus a) b) et c) addantur aliae ubicationes praeternaturales ut supra; — 3) ut manentibus a) b) c) et d) addantur aliae ubicationes naturales sicut c); — *e.*

Ad min. 1) Omnia illa sunt positiva; *e.* mutua sui additione non contradictionem inducere possunt.

2) Non intrinsece repugnat mutari vel multiplicari alterum, altero manente non mutato, ubi haec sunt realiter distincta.

Objic. 1° Si corpus multilocaretur esset multiplex; *a.* repugnat ut unum idem sit multiplex; *e.* — R. *d. maj.* multiplex localiter, *c.*; entitative seu substantialiter, *n.* — *c. d. min.*

Objic. 2° Idem corpus a seipso distaret! — R. *d.* a seipso simpliciter, *n.*; a seipso secundum quid (i. e. ut existens hic distaret a seipso ut existente ibi), *c.*

Objic. 3° Idem esset divisum; *e.* jam non unum. — R. *d. ant.* in ratione praesentiae localis, *c.*; in ratione entis et substantiae, *n.*

Objic. 4° Si idem posset esse in pluribus locis posset etiam esse in omnibus; *a.* sic... in infinitis, quod repugnat; *e.* — R. *d. maj.* in omnibus distributive, *c.*; collective, *n.*; — *c. d. min.*

Objic. 5° Idem non potest esse simul duobus temporibus; *e.* neque duobus locis. — R. *n. par.* (duo tempora sunt essentialiter successiva non simultanea).

Objic. 6° Sic periret omnis certitudo, v. c. haec silva forsitan est unica arbor. — R. a) *n. supp.* (non ex sola locationis diversitate concludimus ad diversitatem essentialis). — R. b) *n. assert.* (possibilitas absoluta exceptionis praeternaturalis non tollit ordinem factorum naturalium).

Objic. 7° Corpus esse circumscriptive in loco dicit ita esse in loco ut nihil ejus sit extra; *a.* sic est contradictio in multilocatione; *e.* — R. *d. maj.* ita ut nihil ejus sit quod ibi non sit, *c.*; ut nihil sit quin solum ibi sit, *n.*

Objic. 8° Una quantitas nequit implere duo loca adaequata (nam una forma nequit duos effectus formales adaequatos habere); *a.* unum corpus non habet nisi unam quantitatem; *e.* — R. *n. maj.* — *d. rat. add.* duos effectus formales primarios, *c.*; secundarios, *n.* — *c. min.*

Objic. 9° Occupatio loci nequit multiplicari quin multiplicetur ratio formalis occupandi locum; *a.* haec est quantitas; *e.* — R. *d. maj.* quin ratio formalis proxima, *c.*; etiam remota, *n.*; — *c. d. min.*

Objic. 10° Non potest quantitas esse extensa in loco quin sit extensa in re; *e.* non bis in loco quin bis in re. — R. *c. ant.*; — *n. cons.* (posito fundamento, in eo fundari potest duplex extensio localis, seu relatio ad loca duo).

Objic. 11° Potentia naturalis quantitatis per unam ubicationem circum-

scriptivam actualem totaliter in actum reducitur; ac proinde aliae non nisi in potentiam obedientialem induci possunt; *a.* etiam sic repugnat; *e.* — *Prob. min.* a) possent, a pari, esse plures formae substantiales in eadem materia prima; — b) potentia naturalis ab obedientiali eo differt quod prior habet aliquam proportionem et inchoationem ad actum, altera non; *a.* ad singulas ubicationes circumscriptivas habet quantitas aliquam proportionem et inchoationem; *e.* tolleretur discrimen essentiale inter potentiam naturalem et obedientialem. — *R. tr. maj.* — *n. min.* — *ad prob. min. a) n. par.* (formae substantiales essentialiter differunt, se mutuo expellunt; — ubicationes circumscriptivae numero differunt) — *ad prob. b) c. maj.* — *d. min.* ad singulas distributive, *c;* ad omnes vel ad plures collective, *n.*

Objic. 12° Non datur motus nisi a contrario ad contrarium; *a.* ab una ubicatione transitur ad aliam per motum; *e.* una alteri est contraria, et se mutuo excludunt. — *R. a) d. maj.* quoties motus fit ab uno specificè distincto ad aliud specificè distinctum, *c;* ab uno numerice distincto ad aliud, *n;* — *c. d. min.* per motum a specificè distincto ad specificè distinctum, *n;* a numerice distincto ad numerice distinctum, *c.* — (aliis verbis *d. maj.* motus alterationis, *c;* quantitativus vel localis, *sd.* ad contrarium proprie dictum, *n;* improprie dictum, *tr.* — *c. d. min.*) — *R. b)* retorqueo totum de ubicatione definitiva!

Schol. 1^m Quaeritur per quam actionem corpus multilocetur. — *R.* Actio multilocans certe aliquid novi producit; sed quid illud sit, sunt duae sententiae: 1) aliquid accidens modale, scilicet nova ubicatio intrinseca hujus praexistentis substantiae; — *nam* ut res actu jam existens novam denominationem accidentalem acquirat, satis est at illud accidens producat, quod illius denominationis est fundamentum et radix. — Vocatur haec *actio adductiva.*

2) Ipsa substantia reproducitur alibi, nam: a) solum *ubi* modale aut fieret hic aut ibi; *a.* neutrum; nam *hic* corpus jam erat, nihil erat addendum; *ibi* corpus nondum erat, creabatur modus separatus! *e;* — sed *R. n. maj.* (nec hic neque ibi, sed in substantia ponitur modus quo substantia sit ibi)... et *retorq.* idem esset de omni motu hinc illuc. — b) Eadem res, manens una realiter, potest esse multa virtualiter; *e.* plures accipere existentias (hic et ibi); — sed *R. c. ant.* — *n. cons.* seu *d. cons.* plures existentias ejusdem essentiae (quasi haec sint physice distincta), *n;* plures modos existentiae, i. e. essentiae, *c.* — Vocatur haec *actio reproductiva.*

Schol. 2° Quaeritur quatenus attributa convenient connaturaliter corpori multilocato. — *R.* Duae sententiae: 1) omnia convenire hic et ibi, quae possent convenire pluribus corporibus ejusdem speciei, quorum unum hic, alterum ibi esset (esurire, et manducare; peccare et bene agere; esse felicem et miserum; sibi obviam fieri; seipsum interficere et superstitem manere)!

2) Omnia quae rei conveniunt vi essentiae et aliorum accidentium esse eadem hic et ibi; sed omnia quae conveniunt vi ubicationis et loci, esse

alia hic quam ibi (stare et sedere; esse in luce et in tenebris; efformare totum exercitum quoad localem praesentiam et motus, sed non quoad virtutem agendi); sed et haec bipartitur sententia: a) ita fore de necessitate physica, non metaphysica, i. e. non intrinsece repugnare ut etiam ceterae proprietates sint aliae hic, aliae ibi; — b) intrinsece repugnare (Scot, Franzelin...) (De hoc toto cfr. Pesch p. 520 n. 478, 479).

QUAESTIO 2.

De spatio.

Propositio 63.

Spatium proxima et immediata ratione ad extensum refertur.

Stat. quaest. Quaeritur quid communi loquendi concipiendique usu spatium esse intelligatur. Respondent peripatetici conceptum spatii esse cum extensionis conceptu intime connexum.

Notiones. 1) In rerum ordine concipi possunt:

- a) corpus extensum et locus illo impletus;
- b) extensio abstracta, i. e. *spatium purum* seu *mathematicum*;
- c) haec eadem extensio, sed considerata ut receptaculum, vas, seu possibilitas locandorum corporum et motuum, i. e. *spatium formale, naturale, physicum*;
- d) hoc idem receptaculum, addendo negationem omnis impedimenti quod ex eo corpus possit excludere, i. e. *vacuum*.

2) Spatium, sive purum, sive naturale, sive vacuum potest esse:

illimitatum = *absolutum*.

limitatum = *respectivum*,

- { indeterminatum = non designatis certis limitibus.
- { determinatum = certis designatis terminis, = *actuatum*.
- { in actu primo = non impletum.
- { in actu secundum = impletum, occupatum = *reale*.

3) Hae notiones nunc non dantur tanquam in sequentibus praesupponendae, sed potius ordine suo explicandae, nunc uno conspectu ob oculos ponuntur.

Prob. Ex *vulgari communi sermone et notione* conceptus spatii apparet intimo et essentiali vinculo cum conceptu extensionis connexus; *e.*

Ad ant. 1) Vulgari sermone dicimus: a) spatium esse quoddam receptaculum omnia corpora continens;

- b) habere partes extra partes, sive cohaerentes, sive dissitas;
- c) occupari corporibus ita, ut corporum partibus singulis correspondeant spatii partes singulae;
- d) eadem habere attributa et proprietates quae extensio.